

lem Anno Domini 1118. & Religionem eorum approbavit Apostolica Sedes sub Honorio Papa Secundo, Anno 1127. dato eis habitu albo cum cuculo rubeo; emitebant autem tria folia vota Religiosa, ac alterius defendendi Peregrinos euntes in Terram Sanctam ab Invidiis latronum, & Saracenis; cumque crevisset opibus, & divitiis maximis, gloriosissimas expeditiones militares fecerunt in defensionem fidei contra Saracenos. Cumque diu se servassent in bono proposito, professione suæ laudabiliter satisfaciens; tandem neglecta humilitate, quæ omnium virtutum est custos, evaserunt superbi, ac molesti non solum privatis personis, sed etiam Principibus, & diffamari de enormitatibus, ac pessimis vitiis, etiam de Hæresi, & Apostasia; Anno 1307. Philippus Rex Francorum illos judicialiter accusavit coram Clemente Papa Quinto, qui anno sequenti convocato Concilio Viennensi, in eo iussit eorum causam pertractari, & pluribus ex illis Templariis militibus carceratis, aliisque facibus delicta, aliis negantibus; tandem tanquam Rei prædictorum gravissimorum criminum fuerit condemnati; & eorum multi tanquam impenitentes igne combusti; suppressi toto Templariorum Ordine, cuius magna pars bonorum, & possessionum data fuit Milicibus Hierosolymitanis, ut fuscè narant Chastangus in Catalog. Glor. Mundi par. 9. consil. 5. Brovius ad Annum 1310. Salelles de s. Inquisition. lib. 3. cap. 16. Reg. 280. à num. 96. & s. Azor. Institut. Moral. tom. 1. lib. 13. cap. 6. Raynald. in Annali Ecclesiast. Anno 1308. & 1312. Albericus in Dictionar. Verb. Templarii. Sanctus Antoninus in Histor. 3. part. tit. 21. cap. 3. Novissimè Forestus in Mappamundo, tom. 3. part. 2. in Vita Clementis Papæ Quinti: ubi observat, non ita certum fuisse apud homines, quod omnes Templarii essent Rei mortis, & excidii totius Ordinis, cuius hæsitatiois ansam præbuisse ferunt, mortem tum Clementis Papæ Quinti, tum Philippi Regis Francorum intra annum, iuxta citationem de ipsis, quam fecerat existens in patibulo Joannes Mula Magnus totius Ordinis Magister, ad comparandum ante Tribunal Dei; que quidem citationis utrum timendæ sint à Iudicibus ritè, ac ritè procedentibus, demonstrat Martin. Delius Deliquit. Magic. lib. 4. cap. 4. quæst. 4. Et Stephan. Menochius in Storeis Centur. 1. cap. 28. quos Lector curiosus percurrat.

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Quia in definitione Sacrificii, ultra necessitatem Templi, dicitur esse necessarium etiam ALTARE; agitur de quidditate, & necessitate ALTARIUM ad celebrandam Missam.

SUMMARIUM.

- 1 Altare sacrum est necessarium pro celebranda Missa.
- 2 Altare est duplex, Immobile, & Portatile.
- 3 Altare immobile quid sit?
- 4 Altaria olim lignea, & argentea, nunc lapidea tantum.
- 5 Epauum quasi Urbis Apamie, vulgò Pamiers.
- 6 Altare quasi alta Ara, & elevatum à terra.
- 7 Altaris altitudo quanta esse debeat?
- 8 Altare in Areopago Athenarum cui Deo ignoto dicatum?
- 9 Altaris mensa quanta latitudinis, & longitudinis esse debeat?
- 10 Altaria consecrare semper Ecclesia consuevit.

- 11 Peccatum mortale est celebrare Missam sine Altare.
- 12 Sacerdos celebrans sine Altare, est suspendendus à Divinis, & num. 39.
- 13 Altare non consecratum non acquirit consecrationem per celebrationem Missæ in eo.
- 14 Altarium horum antiquitas forme diversæ.
- 15 Altare portatile cur dictum Viaticum? ejus usus antiquissimus. Ejus forma qua?
- 16 Antiquissimè usantur Græci pro Altare portatili.
- 17 Altaria consecrantur ab Episcopis. Sed utrum ab Abbatibus, & simplicibus Presbyteris?
- 18 Abbates de Jure non consecrant Altaria; sed tantum ex privilegio.
- 19 Pontificalium usus usque ad annum millesimum ab Incarnatione Domini non fuit concessus abbatibus.
- 20 Abbatibus Cassinensibus concessa facultas consecrandi Altaria portatilia pro usu suarum Ecclesiarum à Pio Papa IV. anno 1565.
- 21 Abbates an possint consecrare Altaria etiam pro Ecclesiis extraneis? est questio, in qua negatim respondendum; etiam circa Calices, campanas, & suppellectilia sacra.
- 22 Abbates non possunt consecrare Altaria prout usualium Ecclesiarum. decimum est à s. Ratum Congregatione anno 1644.
- 23 Abbatum portatilia circa usum Pontificalium, & circa consecrationes restricta sunt Anno 1659. sub Alexandro Papa VII. in Decretis XXI. quorum XVIII. nec non XIX. sunt prohibitive consecrationum, & collationis ordinarum minorum pro non subditi, etiam de licentia Ordinariorum.
- 24 Papa ad libitum potest restringere, ac etiam revocare Privilegia quibusvisque concessa per Apostolicam Sedem.
- 25 Mendacianum Ordinem Prelati non possunt consecrare Altaria, aut Calices, vel paramenta benedicere pro alienis Ecclesiis, vel personis.
- 26 Presbytero potest à Papa dari facultas consecrandi Altaria, & Calices.
- 27 Reliquie Sanctorum an sint de essentia consecrationis Altarium? Questio famosa: Rationes pro affirmativa. num. 28. Pro negativa numer. 29.
- 28 Lipsani non sunt de essentia reponenda in Altari consecrando; sed tantum ex consuetudine generali Ecclesie.
- 29 Altaria quando perdant Consecrationem?
- 30 Altare non perdit consecrationem, si exeat de suo loco operculum s. Reliquiarum; sed statim ibi cypho firmetur, repositus in suo loco ipsi s. Reliquiis.
- 31 Excommunicatus Sacerdos, vel degradatus si celebrat, non reddit Altare execratum.
- 32 Altare deficiente non licet celebrare ex quacunque causa; & celebrans graviter puniendus esset.
- 33 Papa concedere potest celebrationem Missæ sine Altare.
- 34 Exempla tria antiqua Missæ celebratæ sine altare; idest s. Luciani Martyris, Theodorici Cyri Episcopi, & Sancti Apollonii Episcopi Brixientis.
- 35 Mulieres prohibite ministrare Altari.
- 36 Mulieres in Ecclesia sicut separate à Viris.
- 37 Presbyteri non celebrant eo die in Altare, in quo celebravit Episcopus, vel Legatus Apostolicus absque eorum licentia.
- 38 Christi omnis altis debet esse nostra instructio.
- 39 Crux sicut Altare Sacrum, in quo Christus Dominus crucentum Sacrificium obtulit; Templum verò totus mundus.

Christus Dominus fuit Sacerdos, Hostia, Templum, & Altare.

Non solum in Templis sacris Deo tremendum Missæ Sacrificium est offerendum; sed illud super Altarium pariter sacris immolari debet, ut ex auctoritate SS. Canonum, & Conciliorum probat Emin. Card. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 24. §. De Tempore, & Aris; Tamb. de Sacrificio Missæ lib. 1. cap. 5. §. 1. Lezana tom. 3. Verb. Altare n. 10. & Collegium Salmantic. de Sacram. in genere tract. 5. cap. 4. pun. 3. nec non Doctores omnes infra citandi. Idcirco pro hujus necessarii requisiti, ad ritè litandum intelligentia, quinque fuit breviter examinanda, & videntur.

- 1 Quid, & Quotuplex sit Altare?
- 2 Ad quos spectet consecratio Altarium?
- 3 An Reliquie Sanctorum sint de essentia consecrationis Altarium?
- 4 Quando Altaria dicuntur perdidisse consecrationem?
- 5 An liceat aliquando celebrare sine Altari consecrato?

Quò ad Primum: Cùm omne multiplex, secundum Philosophum sit prius dividendum, & postea definiendum, Arist. lib. 2. Poster. cap. 9. scire oportet, quod duplex est Altare; aliud Immobile, & firmum; aliud verò Portatile, & Mobile. Primum appellatur etiam Mensa, fixa, & stabilis. Secundum dicitur Altare Viaticum, quo per viam peregrinantes utuntur, Item Ara, Lapis, & Tabula; ut advertit Bordon. Var. resolut. p. 2. resolut. 83. n. 17. & Barb. de Jure Eccles. Univers. lib. 2. cap. 7. n. 2. 3. 4. Altare firmum, & fixum est fabrica de muro, elevata à solo Ecclesie, cum mensa lapidea, figure quadratæ oblongæ ritè consecrata, supra quam Sacerdos legitime sacrificare potest. Dicitur esse fabricam de muro, quia licet olim in primitiva Ecclesia fierent Altaria lignea, ob eorum magis expeditum usum, & ut facilius de loco in locum transferri possent tempore perfectionum, ut notat Emin. Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 10. sub num. 1. cuiusmodi erat Altare Principis Apostolorum, repositum postea à S. Silvestro Papa in Ecclesia Lateranensi, ut in Dedicar. Basil. Salvatoris die 9. Novemb. lib. 6. Brev. Rom. & cessata persecutione Constantinus Magnus fecerit in Basilica Constantiniana Altaria Septem de argento purissimo, pensans singulum libras 260. Et Sixtus III. obtulerit Basilicæ Sanctæ Mariæ Altare argenteum purissimum pensans libras 300. ut ibid. scribit Emin. Card. Bona; postea sancivit Ecclesia, ut nemini liceat celebrare, nisi in Altari Lapideo consecrato, & Chrismate delibuto, cum sit figura Domini Nostri Jesu Christi, de quo ait Apostolus 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. cap. Fundamenta, de Elei. in 6. tum etiam quia Sepulchrum Christi, quod repræsentat Altare, fuit excidium de Petra. Barb. d. lib. 2. cap. 7. n. 5. Est autem incertum, qui primus præcepit, Altaria debere esse Lapidea, etsi communis opinio hoc referat ad eundem Sanctum Silvestrum. Invenit in Histor. Dogmat. de Sacram. Dissert. 5. q. 8. cap. 3. Emin. Card. Bona d. num. 1. Id tamen legitur in cap. Altaria 31. de Consecrat. dist. 1. sumptum ex Concilio Epauensi, cap. 26. quod fuit celebratum Anno 509. in Urbe Gallie, tunc dicta Epauum, que secundum Ortelium est Urbs Apamie, vulgò Pamiers. Ferrar. in Diction. Geographic. Verb. Epauum. & Emin. Card. Bona d. lib. 1. cap. 20. num. 1. Porrò Altare Ligneum cum Ara Lapidea non est prohibitum, & super eo licitum est celebrare. Barbos. ubi supra num. 6. Lezana tom. 3. Verb. Altare num. 2. & Nicoliis in Floscul. Verb. Altare num. 5. Dicitur in definitione elevata à solo Ecclesie; spectat enim ad decorem, & majestatem Altaris, ut sit altum, & elevatum à terra, imò

vocatur Altare quasi alta Ara. Lezana d. Verb. Altare num. 1. & Pax Jordanus tom. 1. lib. 5. tit. 10. num. 4. nam etiam Ethnici Divi iuperis sacrificabant in ædificiis à terra elevatis, in terra autem Diis terrestribus, & in effossa Diis infernalibus. Lezana ibidem. Ejus autem altitudo debet esse à Scabello ligneo, seu pradella ipsius Altaris, cubitis duobus, & uncis octo, ut præscriptum fuit à S. Carolo in Concil. 4. Provinc. quamvis si paulò minus deficiat, sit tolerandum, juxta instructionem ejusdem Sancti ad suos Vicarios Foraneos, de qua in Añ. 7. Eccl. Mediolan. pag. 801. & cujus meminit Joseph. Crisp. in tract. Visti. Pastoral. part. 2. §. 6. num. 6. Hinc Altare de Lignis Sethim, quod fecit Moyses iustu Domini, habebat tres cubitos in altitudine. Exod. 27. 1. Et tale erat Altare, ab Atheniensibus & dicatum Ignoto Deo, de quo ait ad illos Apostolus Paulus; Añ. 17. 23. Præteritis enim, & videns simulacra vestra, invenit in Aram; in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quibus autem de causis dictum Altare erectum fuisset Athenis, & de quo Deo ignoto intelligerent Sapientes illi, plures recentef opinionem Nicolius d. Verb. Altare n. 3. probabilior tamen est, quòd illud ad Deum Judæorum referretur, cujus cùm nullum exaret simulacrum, seu sculptura, à quo manifestaretur, illum appellabant Deum ignotum; nam & ipsos Judæos Juvenalis Satyr. 14. irritat tanquam nubium adoratores, dicens:

Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem, Nil præter nubes, & Culi Numen adorant. Idemque sentisse videtur Lucanus, qui Deum Judæorum incertum appellavit, quia non erat visibilis: Nam dedita Sacris

Incerta Judea Dei. Nisi velimus asserere, quòd Athenienses, cùm audissent S. Dionysium Areopagitam, loquentem de Ecclipsi viti in die mortis Christi, & dicerent: Aut Deus nature Auctor patitur; aut mundi machina dissolvitur; sive ut refert Michael Singellus, Auctor Græcus; Deus ignotus in carne patitur; adeoque universum hisce tenebris obscuratur, & concutitur; voluerint huic patienti Deo ignoto erigere illud Altare, ut latius prosequitur Stephan. Menochius in Histor. Sacra in Añ. Apostolor. lib. 2. c. 3. ubi alios adducit.

Sequitur in eadem definitione Altaris: Cum Mensa Lapidea figure quadratæ oblongæ. Quia, ut dictum est, altare debet habere mensam ex lapide expansam, cujus latitudo sit saltem duorum cubitorum; longitudo autem cubitorum ad minimum quatuor; ut idem Sanctus Carolus præscripsit in suo Concil. IV. Prov. & notat Joseph. Crispinus d. part. 2. §. 6. num. 6. Subjungitur in definitione Ritè consecrata; sicut enim Moyses, Domino præcipiente, consecravit Tabernaculum, Mensam, & Altare ejus; sic Ecclesia Catholica semper solita fuit non solum Templi, sed etiam Altaria sacra pro usu Divini Sacrificii, ut habetur in cap. Tabernaculum. 2. de consecr. dist. 1. de cujus consecrationis effectu ita loquitur S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3. Consecratio Altaris repræsentat Sanctitatem Christi; consecratio verò Domus Sanctitatem totius Ecclesie. Ecclesie, & Altare consecrantur, quia hac consecratione adipsuntur quamdam spiritualium virtutum, per quam apta dicuntur Divino cultui; ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad Divina. De caeremoniis autem, quibus consecrantur Altaria, de abluitionibus, ac Unctionibus cum Sacro Chrismate differit Guilielm. Durand. in Rational. Divinor. Officior. lib. 1. cap. 7. ubi earundem Mysticas significationes explicat; & novissimè Hugo Menard. in Nois ad libr. Sacramentor. S. Gregor. Papæ pag. 195. 196. & Alphons. Mendezius in Theolog. Catechetica tom. 2. lib. 11. cap. 1. num. 3. & 4. qui advertit in Ethiopia, usum Altaris

ris Lignei, Zobot vocati prevalere; ac promanasse ab exemplo Divi Petri, qui tempore perfectionum, ut dictum est, in ligneo Altari, concavo in speciem Aræ celebrabat.

Tandem subdit definitio: Supra quam Sacerdos legitime sacrificare potest; quia concors est Theologorum, & Canonistarum sententia, esse mortale peccatum litare extra Altare consecratum, sive fixum, sive portatile, (hoc enim sufficit, illo deficiente) cap. Sicut non alii. 11. cap. Altaria il 2. De Consecr. dist. 1. S. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. Laym. lib. 5. 12. 5. cap. 6. n. 3. & Quart. in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. ad dubia consensit. dub. 1. Aded ut Sacerdos, qui celebraret in Altari non consecrato, ut infra dicitur, esset plectendus suspensione à Divinis. Bordon. Var. Resolut. part. 2. resol. 83. num. 24. Qui opinatus est ibid. num. 19. Altare nondum consecratum, vel etiam dissecratum, evadere consecratum per celebrationem in eo factam sive bona, sive mala fide, prout communiter docetur de patena, & calice non consecratis adhibitis in celebratione: sed contrarium tenent Quart. d. part. 1. tit. 20. dub. 4. & Biffus in Hierurg. Sacra Verb. Altare §. 5. & in Verb. Vesper. idest Paramenta Sacra §. 4. quibus ego adhaereo; nam, quidquid sit de Patena, & calice (de quibus etiam differit Quart. part. 2. tit. 1. sect. 2. dub. 3.) magnum est discrimen, siquidem Corpus, & Sanguis Domini immediatè tangit, & delibet patenam, & calicem; secus autem altare ipsum, quod ulterius majoribus orationibus, & cæremoniis, quàm calix, & patena consecratur, ut resultat ex Pontificali Romano tit. de Consecrat. Altar. & ex his, quæ tradit Duran. d. lib. 1. cap. 7. & Menard. d. pag. 195. & 196.

Non est autem ignorandum pro Altarium fixorum intelligentia, eorumdem antiquitus diversas fuisse structuras; nam aliquando Mensa lapidea superjacebat uni tantum columnæ; aliquando columnis duabus, aliquando quatuor, ut adhuc videtur Romæ in cryptis, & cæmeteriis; invaluit denum usus, ut Mensa ipsa lapidea colloqueret super ædificio quadrato, ex muro confecto, ad tumuli formam, ut nostris temporibus praxis communis servat: de quibus omnibus structuris mentionem facit Emin. Card. Bona d. lib. 1. cap. 20. n. 1. in fine. Et hæc de Altaribus firmis, & fixis.

Alia sunt Altaria portatilia mobilia, & Viaticæ, sic dicta, quia Episcopi iter agentes illa secus olim ferebant, ut in eis possent extra Ecclesiam in locis remotis celebrare, & vulgò appellantur Petra Sacra, quorum usus est antiquissimus; de quo meminit Ven. Beda lib. 5. Hist. cap. 11. qui vivebat Anno Domini 700. necnon Hiemarus Remensis, qui illam regebat Ecclesiam Anno 860; & in capitalis edictis Anno XII. sui Episcopatus, sic fancivit: Tabulam quæque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra Petra, aut livo honestissimo, secundum suam possibilitatem, honestè affectatam habeat: Et nobis ad consecrandum afferat, quam secum eum expedierit, deferat; in qua Sacra Mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat. Est igitur Altare portatile Lapi consecratus, quadrata figure, tanta latitudinis, ut in eo consistere possit Calix, & Patena nec non alie particule, quas simul contingeret consecrari; & super ipso licitum est Missam celebrare. Cap. Concedimus 30. De consecr. dist. 1. & cap. fin. de Privileg. in 6. Sed prædictus Sacer lapis debet esse nusquam phycæ, non autem compositus ex duobus, vel pluribus, sic enim non representaret unam Christi personam. Tamburin. de Sacrif. Missæ lib. 1. cap. 3. §. 1. n. 6. Non est tamen prohibitum, si ligno circumdatur ad ornatum, vel in capsula lignea inseratur ad conservationem, dummodo superior planities ejus lapidea sit aperta, super qua litatio fiat. Quart. d. part. 1. tit. 20. dub. 1. in fin. & Tambur. d. §. 1.

n. 3. De hoc autem Altare portatili, seu Petra Sacra ita ordinavit S. Carolus in cit. Conc. 4. Prov. Petra Sacra ita Mensæ Altaris inseratur, ut nullum effusiois Calicis periculum adatur; tãdã tamen digni signosei possit. Quæ quidem Petra longitudine ne minor sit unciarum viginti, latitudine sedecim. Quamvis quod tanta latitudo, & longitudo Petræ Sacræ sufficiat, quæ possit sustinere majorem partem Calicis, & Hostiæ, Sylvest. Verbi Altare. Tolet. lib. 2. cap. 2. num. 6. & Azor. part. 1. lib. 1. c. 27. qu. 7. docuisse reperitur. Debet etiam tegi tela cerata; ut immunis fervetur à pulvere, & ne à laicis tangatur. Joseph. Crispin. Visti. Pastor. d. p. 2. §. 6. num. 8.

Porrò in Ecclesia Orientali Altaria portatilia non habentur, sed eorum vice Græci utuntur Antimensionis quibusdam, scilicet pannis, Ritum, & vice Altarium consecratis, de quibus in Eucharologio Græcorum pag. 648. & ibi Jacob. Goar. in notis; & de illis Theodoros Balsamon in expositione Can. 31. Concilii Trullani. Ided, inquit, reperta sunt Antimensionia, & sunt à Pontificibus, quo tempore celebrant declinationem Ecclesie, ut ponantur in Sacris Mensis, quando permissu Antiphysis Oblatio Liturgie fit in Oratoris. Plures eruditiones de Antimensionis, & Græcorum Altaribus leguntur apud Magrium in Hierolex. Verb. Altare: & præcipue, quod eodem die ad unicum Altare duo Presbyteri nequeant Sacrum facere, ipsaque Altaria erant à muro separata, ut devotionis causa possent fideles illa circuire. Altarium custodiam à Deo Angelis demandari, ut habetur ex Sophron. in Pras. Spr. cap. 4. & refert Jo. Bap. Mattheol. in Sylva Hist. part. 1. lib. 3. cap. 7. ac tanta veneratione à Græcis Altaria coli, ut jure invehant contra nostratum abusum, à quibus itirev erentur apud Altaria, etiam dum Sacrificium tremendum offertur, instituitur. Et hæc de primo Quæsitio.

Quò ad Secundum; in quo queritur, At quos spectat consecratio Altarium? Inspecio cadit circa tres Personas, Episcopos scilicet, Abbates, & Simplices Sacerdotes. De Episcopis nulla est dubitatio, quin possint Altaria tam fixa, tum portatilia consecrare, spectat enim de jure insummodi consecratio ad ipsos. cap. Interdicitur. 16. q. 1. cap. Ministrare. 26. q. 6. cap. Nullus Presbyter. cap. Concedimus. cap. Quod in dubiis. De Consecrat. dist. 1. Et ita tradunt concorditer omnes Doctores, tam Theologi, quàm Canonistæ. Suarez de Eucharist. disp. 81. sect. 5. Reginald. in Praxi lib. 29. n. 190. Bordon. Var. Resol. d. part. 2. resol. 83. num. 18. Barbof. alleg. 27. n. 23. Pignatelli alios cumulat tom. 3. consult. 68. num. 2. Et Crispin. in Visti. Pastor. part. 2. §. 15. ubi monitos facit Episcopos, ne desides sint in consecratione Ecclesiarum, atque Altarium, imò ininterit sollicitudinem Pastorem Sancti Caroli, qui tercentum Ecclesias cum suis Altaribus consecrasse dicitur.

Circa Abbates, certum est de Jure eos non posse Altaria consecrare, ut docet Mar. Antonin. resol. lib. 1. resol. 112. Causi 3. Idcirco illis hæc potestas convenire non potest nisi ex privilegio Apostolico, ut fatetur Ascianus Tambur. de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. quæst. 4. n. 3. Quando autem hoc Privilegium Abbates obtinuerint? sunt variz opiniones; liquidem certum est, usque ad Annum Millesimum ab Incarnatione Dominicæ, Jus Pontificalium eorumque utum nulli Abbati fuisse concessum, ut eruditè probat Illustrissimus Pompejus Sarnellius Vigilantur 19 Episcopus vigilantissimus, in sui Epistolis Ecclesiasticis. Epist. 3. ob eorum Abbatum eximiam modestiam, & humilitatem, de qua plura S. Bernardus in Epist. 42. ad Henricum Senonensem Episcopum; & Petrus Blefensis Epist. 90. ad Villelm. Blesens. Abbatem Machinæ. Fratrem suum. Verum, prædicto Millesimo transacto, & usu Pontificalium per plu-

res Summos Pontifices, in d. Epist. 3. Sarnelliana recensitos Regularibus Prælati attributo; successivè aliquibus Abbatibus concessa fuit simul potestas consecrandi Altaria fixa in propriis Ecclesiis, ut ostendit Tamburin. d. disp. 23. Quæst. 4. subdens ibidem num. 3. quod tandem Pius Papa IV. Anno 1565. die 6. Junii concessit Congregationi Cassinensi, ut singuli illius Abbates quoscumque Lapidem marmorat, porphyricos, aut alios ad usum Altarium portatiliam pro servitio Ecclesiarum eadem Congregationi subsecratur, consecratur, & benedicere possint; Ordinariorum locorum facultate minima requisita; quæ quidem Piana Constitutio, relata ibidem à Tamburino, legitur etiam apud Laertium Cherubin. in Baltario Romano tom. 2. Inter Bullas Pii Quarti Constit. 97. pag. mibi 114.

Non est igitur inficiendum, quin Abbates Cassinenses possint ex Privilegio Apostolico Altaria tam fixa, quàm mobilia consecrare pro usu suarum Ecclesiarum. Sed an etiam pro aliis Ecclesiis extraneis? Affirmare contendit Alcan. Tambur. d. disp. 23. quæst. 4. quæst. 5. & quæst. 13. tum ex Communicatione Privilegiorum cum Congregatione Cisterciæ, cujus Abbates id concessisse, ait Innocentium Octavum; tum ex præscriptione, & possessione, in qua Abbates Cassinenses reperitur consecrandi Altaria portatilia ad instantiam quarumcumque personarum, & Ecclesiarum, etiam non sibi subsecraturum; & cum eodem Tamburino sentit Bordon. d. part. 2. resol. 83. num. 18. Contrarium tamen est verum; quia pro extraneis personis, & non suis Ecclesiis, Abbates cujuscumque Congregationis non possunt Altaria consecrare, neque Calices, neque Campanas, neque suppellectilia facra benedicere; sed solummodo pro suarum Ecclesiarum usu, ut concludenter tenent, & probant Maceraten. d. lib. 1. resol. 112. cons. 3. Riccius in Praxi tom. 1. resol. 461. num. 2. Piascius part. 1. cap. 2. art. 4. num. 19. & Pignatelli tom. 3. consult. 68. Primò, quia in Privilegio Pii Quarti, est dictio, Dumtaxat suarum Ecclesiarum; quæ inducit negationem sic Ecclesiis alienas. Barbof. Dist. 97. num. 3. Secundò, quia Privilegium Innocentii Octavi ad Cistercienses comprehendit solum Generalem, & quatuor principales Abbates illius Religionis, non autem alios; ided non est Communicabile ad omnes, potissimum diversæ Congregationis. Tertio, quia in materia consecrationis Privilegium non communicatur, neque extenditur ad alios Abbates præter nominatos. Diana part. 3. tract. 2. resol. 15. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 1. resol. 23. num. 4. Quarto, quia Præscriptio, vel possessio, aut consuetudo non intrat, neque suffragatur inferioribus in his, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut declaravit Sac. Rituum Congr. 18. Augusti 1629. de qua Pignatelli. d. consult. 68. n. 3. Quintò, quia in contradictorio Judicio, & in terminis hujus quæstionis sic decisum fuit Anno 1644. ab eadem S. Rituum Congregatione; ut refert idem Pignatellus ibid. num. 7. his Verbis: In causa Placentina benedictionis inter Episcopum Placentinum ex una; & Abbatem S. Sixti ejus Civitatis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis parte ex alia, super jure consecrandi quæcumque Altaria fixa, aut portatilia Die 16. Augusti 1644. S. Rituum Congregatio, proponente Emin. & Reverendiss. Cardinali Francioto, auditis partibus, & attentis Privilegiis Ordini prædicto ab Apostolica Sede concessis, Constat, Non licere Abbati consecrare Altaria, nisi pro usu propriarum Ecclesiarum, & Religiosorum eiusdem Ordinis tantum, & ita servari mandavit. Ultimo, quia ad tollendos abusus, circa Privilegia Abbatis concessa, per viam legis universalis eadem Sacra Rituum Congregatio die 17. Septembris. 1659. approbante Summo Pontifice Alexandro Septimo, compilavit XXI.

decreta, in quibus præscriptum Abbatis, & declaratum De Sacrificio Missæ.

tavit ea, quæ sibi facere licent; inter illa autem sic legitur. XVIII. Ecclesiasticam Suppellectilem pro servitio tantum suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant. XIX. Reliqua Pontificalia extra loca istius Abbatis subsecra, vel pro servitio aliene Ecclesie, aut in subsidiis pariter alienis, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant; puta Campanarum benedictiones, Calicem, & similia, in quibus Sacra adhibetur Unctio, nec non minorum Ordinum collationes. Hæc & alia Decreta, de quibus supra, extensa leguntur apud Nicolium Lucubrat. Canon. lib. 5. tit. 33. num. 17. pag. mibi 226. Ex quibus evidenter constat, non licere Abbatis cujuscumque Congregationis, & Religionis consecrare Altaria, Calices, vel Campanas; neque Vestes Sacras benedicere, aut minores Ordines conferre, vel Privilegiorum, nisi personis sibi subditis, & pro Ecclesiis sibi subsecris. Talis enim est voluntas Summi Pontificis, declarata per organum Sacræ Rituum Congregationis, quæ de mandato Patris in prædictis Decretis generalibus reformavit Privilegia Abbatis; & neas esset dubitare de validitate prædictæ Reformationis; quia sicut Papa concessit dicta Privilegia Abbatis, sic ad libitum potest ea restringere, moderare, & revocare. Peregr. de Jure Juri lib. 1. tit. 3. sub n. 20. Gloss. in cap. Decret. in Verb. permanendum; De Reg. Jur. in 6. Decian. cons. 25. n. 3. vol. 1. Paul. Rubens in Annot. ad Rotam part. 3. rec. Decif. 2. à num. 238. & seqq. Et quæ hucusque dicta sunt de Abbatis, quod non possint Aras, vel Calices consecrare, aut paramenta benedicere, nisi pro suis Ecclesiis, multo magis locum habent in Superioribus Religionum mendicantium; ut respondet eadem S. Rituum Congreg. in Cameracen. 17. Martii 1631. quam referunt per extensum Barbof. Apostol. Decif. Verb. Abbas num. 14. Novat. in Lucern. Regular. Verb. benedicere. Et Lezana in Summ. tom. 3. Verb. Altare num. 3.

Circa verò Simples Sacerdotes, extra controversiam est, quod Sedes Apostolica potest illis eandem facultatem delegare consecrandi Altaria, & Calices; est tãdã raro concedatur; & nisi in remotissimis regionibus, in quibus penuria est Episcoporum. Quart. in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. Dub. 2. Verf. Dico Secundò. Lezana d. tom. 3. Verb. Altare num. 3. ubi Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 3. dist. 81. sect. 5. affirmans anno 1549. concessam fuisse à Paulo Tertio Presbyteris Societatis Jesu pro locis Indianum: Thom. Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 1. c. 1. §. 2. & cap. 5. §. 1. & Barbofa de Jure Eccles. Univ. d. lib. 2. cap. 7. num. 17.

Quò ad Tertiam: An Reliquie Sanctorum sint de essentia consecrationis Altarium; est controversia famosa inter Theologos, Canonistas, & Moralistas; quos cumulat Emin. Card. Brancatius in Opuscul. de Altarium Consecratione; ubi vigintiduo itant pro Affirmativa; inter quos Gloss. in Can. de fabrica, & in Can. Placent. De Consecr. dist. 1. Abb. Butr. Joann. Andr. & alii in cap. 1. De Consecr. Eccl. Barbofa de Jur. Eccles. Univ. d. lib. 2. cap. 7. num. 7. & Jordan. tom. 1. lib. 5. tit. 10. num. 19. Pro negativa verò numerant ibidem Theologi quadraginta; quorum primati sunt Emin. Card. de Lugo de Eucharistia dist. 20. num. 75. Reginald. lib. 29. num. 190. Lezana d. tom. 3. Verb. Altare num. 6. & Frances de Eccles. Casibus cap. 5. num. 167.

Affirmantes, Sanctorum Reliquias esse de essentia consecrationis Altaris moventur hinc argumentis. Primò ex cap. Placuit 26. De Consecr. dist. 1. in quo mandatur, everti Altaria, in quibus Reliquias Martyrum condite non probantur. Secundò ex Can. De fabrica 24. & ibi Gloss. de Consecrat. ead. dist. 1. ubi Vigilius Papa mandat, ablatas reliquias Sanctorum iterum reponi in Altaribus; eaque iterum consecrari. Tertio, quia S. Felix Papa, ut habe-

tur in ejus Actis apud Anastasium Bibliothecarium, constituit supra sepulchra Martyrum Missas celebrandas esse, forsan ex eo, quod in Apocalypsi legitur, Vidi jubtus Altare animarum interfectorum propter Verbum Dei. Quartò ab exemplo Divi Gregorii Magni, qui, ut habetur lib. 3. Dial. cap. 30. consecravit Ecclesiam (intelligit & Altare) impositis in eo Reliquiis SS. Sebastiani, & Agathæ. Quintò, quia in Septima Synodo Generali, sive Nicæna Secunda anno 787. decernitur, quod qui Templum consecraverit sine Sanctis Reliquiis, deponatur. Sextò; nam etiam Alexander Papa Tertius in cap. 1. De Consecr. Eccl. vel Altar. ita disponit: Si Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo suprapositus, qui sigillum continet, confractus; aut etiam diminutus, debet denud consecrari.

Negantes, quod ad essentiam consecrationis Altaris, in eo ponenda sint Reliquiæ Sanctorum, ducuntur hisce rationibus. Primò, quia ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad quartum sæculum, & saltem in tertio usque ad S. Felicem Papam, Sacerdotes Missam celebrabant super ligneas Aras consecratas absque Sanctorum Reliquiis, quæ tunc delitebant aut in arenariis, aut in prædiis fidelium, aut in Catacumbis. Secundò, ex eo quod Concilium Epauense Can. 26. relatum in c. Altaria 31. De Consecr. dist. 1. decernit, ea si lapidea sint, christi-matis unctiõne consecrati, nihil loquens de Reliquiis Sanctorum. Tertio: Nam idem Concilium in Can. 35. præcipit, quod Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villariis non ponantur, nisi forsitan Clericos cuius-cumque Parochiæ vicinos esse contingat. Et tamen in iisdem Oratoriis Missæ habebantur, ut probat Dom. de Maître de Bonifet posses. Eccles. lib. 2. cap. 5. pag. 180. Quartò, Auctoritate D. Augustini, qui loquens de consecratione Altaris per se factæ, solam mentionem facit de benedictione, & unctiõne, & nihil de Sanctorum Reliquiis; sic enim ait Serm. 255. de Tempore. Consecrationem Altaris hodie celebramus: Quod iustè, ac merito gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus, vel unctus est lapis; in quo nobis divina Sacrificia consecrantur. Quintò, ex Rabano Mauro Episc. Moguntino, qui vivebat anno 835. scribens namque de modo consecrandi Aras, ita loquitur lib. 2. De Insti. Cleric. c. 45. Post asperionem aque Ara Christum perungitur ad imitationem Patriarche Jacob. Et paulò post: Bene decet, ut res sacrificande Sacro Christum liniantur unguento; ut demonstraretur, quod omnis Sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cuius virtus invisibilis Sancto Christum ad Sanctificationem præbendam permixta est. Sextò ex Concil. Agathen. Can. 14. relato in cap. Altaria 32. de Consecr. dist. 1. in quo nihil de Sanctorum Reliquiis, sed subditur: Altaria placuit non solum unctiõne Christum, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Septimò, ex monitione veterum Missalium; in quibus notatum est, quod dum ascendit Sacerdos ad Altare, illud osculaturus, dum dicit Orationem, Oramus te Domine, &c. relinquere debet verba illa, Quorum Reliquiæ hic sunt; si de facto in Ara Sacra non sint Reliquiæ Sanctorum; quod advertit Angel. in verb. Altare num. 3. Gavant. in Rubr. Missal. part. 2. tit. 4. De introitu. Item Bauldry in Manual. Sac. Ceremon. part. 3. c. 7. De Ritib. servand. in celebrat. Missæ tit. 4. n. 1. Et Biffus in Hierurg. Sacratom. 2. verb. Sacerdos n. 20. §. 18. Octavò, quia ut ex Pasqualigo colligit Emin. Brancatius in d. opus. de Altar. Consecrat. pag. 341. vers. Sed rationem. Sacra Reliquiæ ex natura sua non habent vim sanctificandi, neque sunt aliquid Sacramentale, ab Ecclesia institutum ad sanctificandum, sicut est Christum, Aqua benedicta, & similia; & ideo ipsæ Sacra Reliquiæ non sunt de substantia consecrationis Altaris; aut ad Liturgicum opus omninò prærequisite. Quare pro resolutione Quæstionis dicendum est, Lip-

sana non esse de essentia reponenda in Altari consecrando, sed tantum esse decientia, & ex consuetudine generali Ecclesiæ; quam Episcopi servare tenentur, ut bene considerat Quartus in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. dub. 2. diffinit. prima. Pasqualig. de res. 46. Et decif. 47. Thom. Tamburin. de Sacr. Miss. d. lib. 1. cap. 5. §. 1. n. 10. Reginald. in Præf. fori Panis. lib. 29. num. 19. & allegatus Emin. Card. Brancatius d. Opuscul. in cuius sine referet; Sacram Rituum Congregationem die 21. Aprilis 1668. censuisse concedi posse Episcopo Augustano, in cuius Civitate, à Diocesi à Svecis militibus supra duodecim millia Altarium everfa fuerant, cum Sacrarum Reliquiarum direptione, ut absque nova eorumdem Altarium consecratione, Reliquiæ Sacras in iisdem reponeret; & hoc Summò Pontifice Clemente Nono approbante; undè fit, Altaria prædicta etiam Sacris Reliquiis spoliata, non perdidit consecrationem.

Quò ad Quartum: Si querimus, Quando Altaria perant consecrationem? Distingueri oportet Altare fixum ab Altari portatili. Fixum exsecratum dicitur, si mensa amoveatur à suo stipite, cui tamquam quid unum statat collocata. Item si enormiter frangatur; super qua enormi stratura attendendum erit arbitrium Episcopi. Lezana d. tom. 3. Verb. Altare num. 20. ubi DD. Quod si cornua ejusdem mense rumpantur, quæ erant Christumate inuncta, Altare secundum Barbof. alleg. 27. num. 19. amittit consecrationem; & non amittit secundum Thom. Tamburin. de Sacrific. Missæ d. lib. 1. cap. 1. §. 1. num. 14. Altare autem portatile exsecrat, si aded frangatur, ut non valeat sustinere Calicem, & Patenam. Eminent. Card. de Lugo de Euchar. disp. 20. num. 67. §. 75. Sed quid dicendum, si tam in Altari fixo, quam in portatili frangatur Sepulchrum Sacrarum Reliquiarum? & equidem secundum opinionem negativam tertii superioris quæstionis, non esset perperita consecratio. Lezana d. tom. 3. Verb. Altare n. 20. Layman de Sacrific. Missæ lib. 5. traç. 5. cap. 6. n. 9. & Tamburin. d. lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 15. Verumtamen, cum Sac. Rituum Congr. die 5. Martii 1633. responderit, non posse celebrari super Altare, à quo subtrahæ sunt Reliquiæ; ut referit idem Barbof. in Summa Apostol. Decif. Verb. Celebrari. n. 6. dicendum est, ipsam Aram vel iterum consecrandam juxta opinionem DD. quos citat ipse Barbof. de Jure Ecclesiast. Universal. lib. 2. c. 7. n. 20. vel impetrandum ab Apostolica Sede repositionem altarum Reliquiarum, juxta casum Episcopi Augustani decifum ab eadem Sac. Rit. Congr. Anno 1668. de quo supra.

Porro quid Juris, si dum portatur Altare Viaticum de uno ad alium locum, soluto gypso ex vestustate, operculum, seu taxellus caveæ, in quo sunt Sacra Reliquiæ, amoveatur, & separatur ab Ara, & decidant ipsæ Reliquiæ; sed statim ab aliquo Ministro Ecclesiæ reponantur in suum locum, & novo gypso apposito operculum prædictum firmetur, & in eadem Ara portatili stabiliat? poterit ne super hoc Altare portatili celebrari absque scrupulo? Hunc casum non factum, sed factum, apud nullum Auctorem reperi; ego autem dicerem, salvo meliori iudicio, quod licitum esset super ipso celebrare; ipsamque Aram non posse dici exsecratam; e ratione, quia, quæ in continentibus sunt, videntur inesse. Leza §. dicebam. ff. Si cert. pet. Maceraton. lib. 1. resol. 69. n. 5. & cum absque dilatione temporis Reliquiæ fuerint repositæ in loco, in quo jacebant, & operculum fuerit illico juxta primam formam firmatum; videtur semper ita firmum extitisse; nam momentaneum intervallum temporis non inducit diverfitatem actum; vel locorum, & facit supponere eandem rem identitatem. Cap. Paut de Locato. l. Et post tres. ff. Si quis cautionib. Unde dici solet, quod modicum tempus est quedam continuatio. l. Penult. ff. de aëion. Et obligat. Gon-

Gonzal. ad Reg. 9. Cancell. gloss. 43. n. 52. Exemplo divortii, quod non dicitur fieri, si brevi reverfa sit uxor. l. Divortium. 3. ff. de Divort. l. Quidquid 49. ff. de Regul. Jur. Et ad similitudinem illius, qui promissit stare in domo, longi carceris; qui si discedat, sed citò revertatur, non dicitur fregisse promissionem, nec fideiussor incurrit aliquam penam. Roman. conf. 193. per tot. Farinac. Quæst. 30. n. 70. & Caball. resol. Crim. casu 112. Ideò neque Altare portatile afficietur poena exsecrationis, & inhabilitatis pro Sacrificio, si absque mora Taxellus reponatur suo loco, & gypso novo firmetur; tanto minus quia non est de forma consecrationis, ut prædicit. Taxellus stabiliat manu Episcopi consecratis, siquidem, ut concedit Pontificale Romanum sub Rub. de Consecratione Altaris: Cementarii cum cemento benedictio firmant ipsam Tabulam, seu lapidem super Sepulchrum, quod absque scrupulo esse praticandum, ait Pax Jordan. lib. 5. tit. 10. num. 25. ubi allegat Hostien. etfi decedens sit adhibere operam Sacerdotum, vel Clericorum in iisdem operulis figendis, ac firmandis. Quocirca si fuissent male firmata tempore consecrationis, & post aliquod tempus exient de loco suo; arbitror, lapidem Sacrum portatile non incurere exsecrationem, si stantibus Sacris Reliquiis in suo Sepulchro, à quocumque pio viro prædictum operculum absque mora in eodem loco reponatur, & gypso firmetur, prout prius erat positum tempore consecrationis.

Illud autem est hic notandum, quod non exsecratur Altare five firmum, five portatile, ex eo quod in ipso celebraverint Sacerdotes excommunicati, vel ineredidi, vel degradati. Cap. 2. de Sacrament. non iterum. Afcan. Tambur. de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. Quæst. 6. & Lezana d. tom. 3. Verb. Altare num. 23.

Quò ad Quintum: Petentibus, An liceat aliquando celebrare sine Altare consecrato? Respondendum ex negativè, non obstante quavis magna necessitate. Suarez in 3. p. disp. 81. sèct. 5. Lezana d. Verb. Altare num. 10. Biffus in Hierurg. Sacra cod. verb. §. 6. & Quartus in Rubric. Miss. disp. 1. tit. 20. dub. 8. Quod si quis Sacerdos absque Altare Sacro, five firmo, five portatili ausus esset sacrosanctum Missæ Sacrificium peragere, ut dictum est supra, peccaret mortaliter. Castropal. traç. 22. disp. Unic. punct. 4. & Colleg. Salmant. de Sacram. in genere traç. 5. cap. 4. num. 77. & esset graviter ab Episcopo puniendus vel suspensio à Divinis, vel alia arbitratia. cap. Litteras 23. de Tempore. Ordin. cap. Cum olim 33. de Offic. Deleg. cap. An sit 42. de Appell. Bor-dem d. part. 2. resol. 83. n. 24. Excepto casu dispensationis Sedis Apostolicæ; à qua licet raro concedatur; attemen aliquando elargitur Missionariis, qui ad infideles properant, ut testantur Magr. in Hierolexic. cod. Verb. Altare col. 4. in fine.

Tria tamen antiquitatis exempla dignissima scitu, in hoc loco sunt referenda, in quibus absque Ara Sacra, ex speciali Spiritus Sancti impulsu, Sacrosanctum Missæ Sacrificium litatum fuisse reperitur. Primum exemplum est Sancti Luciani Martyris Presbyteri Antiocheni, qui cum detineretur in carcere ob Confessionem fidei, visitatus à fidelibus in festo Epiphaniæ, & rogatus, ut Liturgicum opus faceret, desiciente Altare portatili, super pectus suum Sacrosanctum Missæ Sacrificium peregit; & sumpto Corpore, & Sanguine Domini, eodem etiam ipso fideles communicavit, ut narrat Eminent. Card. Baronius ad Annum Christi 311. n. 7. Card. Bona Res. Liturgic. lib. 1. cap. 19. n. 3. & Illustris Episcop. Sarnelius in suo eruditissimo Speculo Cleri Sæcularis tom. 2. lib. 8. in Vita ejusdem S. Luciani pag. 110.

Secundum exemplum est Theodoretæ Cyri Episcopi, qui cum transfisset in desertum locum ad in-

visendum senem quendam Anachoretam, nomine Mars, isque rogasset eundem Episcopum, ut ibi Divinum Missæ Sacrificium offerret, volens eidem satisfacere, & Divini Mysterii illum participem reddere, cum Ara Sacra desiceret, litavit in manibus Diaconorum, quos itineris sui comites habebat, ut ex Vitis Patrum transcribit Magr. in Hierolexic. cit. Verb. Altare col. 5. & narrat Hieronym. à Basilica Petri in Ephemerid. Sacr. tom. 1. die 2. Januarii. n. 3. & nos innotuit in Decif. de Eucharistia Decif. 62. sub num. 44.

Tertium exemplum est Sancti Apollonii Episcopi Brixienfis, qui cum detineretur in carcere, desiderioque celebrandi divina Mysteria flagraret, in Sindone eodem caelitus demissa Missam ibi celebravit, ut refert Bollandus die 15. Februarii. Et Eminent. Card. Bona d. l. 1. cap. 19. n. 2.

Corollarii loco duo hic remanent notanda. Unum, quod mulier ad Altare accedere prohibetur, & multò minus ministrare. cap. 1. in prin. de Cohabit. Cleric. & mulier. Bellet. Disquis. Cleric. p. 1. tit. de Discept. Clericor. §. 8. num. 6. & Barbos. de Jur. Eccles. Universal. d. lib. 2. cap. 7. n. 24. adeò ut apud Hispanos olim neque ad recipientem Communionem licitum eis esset accedere ad Altare, ut ex Concil. 4. Tolletan. Can. 17. observat Mabillon de Liturg. Gallicana lib. 1. cap. 5. num. 24. Inò in Ecclesiis stantibus separatæ à vitis; ut ex pluribus SS. Patribus demonstrat Emin. Card. Bona d. lib. 1. cap. 20. n. 6. Alterum notandum est, quod in Altari, in quo Episcopus celebravit, Presbyter eodem die Missam celebrare non debet. Cap. fin. de Consecr. dist. 2. Barbos. d. lib. 2. cap. 7. num. 35. & Biffus in Hierurg. Sacratom. 1. d. Verb. Altare n. 244. ubi id multò magis servandum esse ait, si celebrasset Summus Pontifex, aut ejus Legatus à latere; excepto tamen, si ipse Prælatu licentiam concedat, vel aliqua urgens necessitas contrarium suadeat.

Porro, quia in Altare ultra consecrationem requiruntur ornamenta, mappæ, Crux, Candelabra, & alia plura; ideò his agemus infra Decif. XIII.

Pro conclusione autem præsentis Decifionis occurrentem est objectioni, quam aliquis facere potest contra huncque dicta de necessitate Templi, & Altaris, ita arguendo: Omnis Christi adio obet esse nostra instructio. Cap. Significasti. Ub. Gloss. de Elect. Fagnanus in cap. Accipimus num. 18. de Pænis tom. 2. Sed Christus Dominus obtulit seipsum Hostiam, & Sacrificium eruentum non in Templo, neque super Altare; sed in Golgotha, idest Calvariæ loco; ut habetur in Evangel. Joan. cap. 19. Vers. 17. Ergo Missæ Sacrificium fieri potest extra Ecclesiam, & extra Altare.

Ad hoc argumentum responderet dupliciter. Primò, quod illud Sacrosanctum, & eruentum Sacrificium non fuit oblatum sine Altare, sed in Altare; felicitè Cruce, quæ consecrata fuit ejus pretio, & divino Sanguine; ut canit Ecclesia in Hymno Dominicæ Passionis ad Laudes, dicens de eadem Cruce:

Sola digna tu fuisse
Ferre mundi Viliamam:
Atque partum preparare
Arca mundo naufrago,
Quam Sacra Crux peruxit,
Fusus Agni corpore.

Idcirco ipsa Crux vocatur Ara à Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. in prin. in illis Verbis. Si igitur Deus, & Dominus noster, esset semel seipsum in Ara Crucis, morte intercedente, deo Patri oblatum erat. Pro Templo autem Christus Dominus elegit sibi totum mundum; quia sicut obtulit Sacrificium illud pro omnibus hominibus, sic decuit, illud offerre in loco universalissimo & cunctis aperto, ac exposito; ut plenius differet Collegium Salmantice d. tom. X. de

42 Inagratione tract. 21. disp. 31. dub. 1. num. 8. in fine.

Respondetur Secundò; quòd Christus Dominus, quemadmodum fuit Sacerdos, & Hostia in passione sua, sic etiam fuit Templum, & Altare. Templum quidem, nam in eo specialissimè habitavit Divinitas; idcirco legitur in Apocal. cap. 21. vers. 22. Et Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est, & Agnus. Et ipse Salvator de se ipso dixerat: Joan. cap. 2. vers. 19. Solvite Templum hoc; & ego in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de Templo Corporis sui. Et de eodem hæc habet S. Ambrosius in Pjal. 47. Verè Templum Dei Corpus est Christi, in quo nostrorum est purificatio peccatorum. Verè Templum Dei est caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium; sed ipsa pro delictis mundi totius fuit Sacrificium. Verè Templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo Divinitatis habitabat. Fuit etiam Altare Humanitas illa Sacrosancta, linita Sanguine suo divino, quem abundè fudit pro nobis; & hæc de causa, dictum est supra, quòd Altaria sunt de petra ad representandum Altare prototypum Sacratissimi Corporis Christi, de quo ait Apostolus: Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10. 4. Quas responsiones latius prosequitur, & exornat Colleg. Salmant. d. tom. X. de Incarnatione tract. 21. disp. 31. dub. 1. §. 2. num. 8. quod legisse studiosio non pigebit.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Exponuntur ultima Verba in definitione Sacrificii posita; scilicet, Pro remissione peccatorum: nec non, pro presenti, æternæque felicitate populi obtinenda. Et ostenditur Sacrificium Missæ prodesse ad obtinendam remissionem tum culpæ, tum penarum, & ad consequendas gratias, & favores etiam temporales.

SUMMARIUM.

1. Causarum genera septem concurrunt in Sacrificio, & que?
2. Causa finalis in Sacrificio est duplex. Una Protectio Supremi Domini ipsius Dei. Altera utilitas populi.
3. Sacrificium Missæ obtinet remissionem tum culpæ, tum penarum.
4. Sacrificiorum tria genera apud Hebræos.
5. Holocaustum quodnam Sacrificium esset? Et quod Hostia pro peccato? & Hostia pacificæ?
6. Sacrificium Missæ comprehendit omnia Sacrificia Mosaicæ.
7. Sacrificium Missæ est Propitiatorium remittens culpas mortales. At non immediatè, sed mediatis, concedendo auxilia ad obtinendam gratiam per Penitentiam.
8. Guillelmus Dux Aquitanie conversus à mortali culpa virtute Sacrificii Missæ pro eo oblati à S. Bernardo Abbate.
9. S. Brinolphus Episcopus celebrando Missam obtinuit conversionem Ladalai Regis Sæcorum.
10. Sacrificium Missæ remittit ex opere operato peccata venialia immediatè.
11. Vincula captivorum, pro quibus Missa offerrebat, cadebant.
12. Sacrificium Missæ ex opere operato auget gratiam habituales, non immediatè, sed mediatis.
13. Baraca nauta naufragus sustentatur in undis pane miraculosè ei delato.
14. Petrus Puteus Panormitanus virtute Missæ S. Philippi Nerii convertitur ad vitam spiritualem.

15. Sacrificium Missæ delet penas vivorum, ac defunctorum existentium in Purgatorio.
16. Purgatorii anime etiam in primitiva Ecclesia adjuæ Sacrificio.
17. Balnei quidam Dominus, defunctus petiit à Presbytero se ibi lavante suffragium Missæ.
18. Justus Monachus presbiterius in Monasterio S. Gregorii Magni liberatur à panis Purgatorii celebratione triginta Missarum.
19. S. Gregorii Missæ triginta quomodo celebrande pro anima cujuslibet Defuncti?
20. S. Malachie Soror defuncta Sacrificio Missæ à Purgatorio liberata.
21. Exempla diversorum existentium in Purgatorio, quibus Sacrificium Missæ profuit.
22. Offertorium Missæ defunctorum declaratur, in illis verbis: De penis inferni, & de profundo Lacu: Et ne absorbeat eas Tartarus, & ne cadant in obscurum.
23. Sacrificium Missæ Deum placat, tempore tribulationum, & flagellorum pestis, famis, & belli, &c.
24. Belli tempore Suffragia ex Missæ Sacrificio.
25. Tentationes, & pericula evitantur opæ Liturgicæ operis, Exempla hic, & num. 26.
27. Bona temporalia impetrantur Sacrificio Missæ.
28. Pauperum ditatorum ob devotionem erga Missam exempla.
29. Sacrificio Missæ redduntur Deo condigne gratie pro ejus beneficiis.
30. Franciscæ Farnesie à Desipara puerum JESUM dono datum.

Pro intelligenda dicendorum in præsentia decisione, in qua Sacrificium esse Propitiatorium, & Impetratorium breviter demonstrabimus, præmittere, & prænotare oportet, in Sacrificio Missæ concurrere septem genera causarum, videlicet Efficientem, Instrumentalem, Materialem, Ritualem, Formalem, Localem, & Finalem; de quibus aliqua recenset Lessius de Justitia, & Sacerdos offert Aeterno Patri Sacrificium sui ipsius per manus Sacerdotum ministrorum Ecclesiæ; ut docet Trid. Concil. sess. 22. c. 2. in illis verbis: Una enim eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit; & tradunt omnes Theologi Scholastici, & Morales. Emin. Card. de Lugo de Euch. disp. 19. sect. 9. n. 112. & 123. Maltrius in 4. Sent. disp. 4. quest. 6. n. 112. & in Theolog. Moral. disp. 19. num. 54. Gonet. tom. 5. disp. 11. de Sacrificio Missæ art. 5. num. 95. Tamburin. de Sacrificio Missæ lib. 2. c. 2. §. 1. n. 1. & 2. & habetur in cap. Firmiter. §. Una. De Summa Trinit. & fid. Cathol. & dicimus infra, Decif. XXXIII. ubi agemus, qui, & quot sint fructus Missæ. Causa Instrumentalis est persona legitime deputata ad sacrificandum, nempe Sacerdos ritè, & ritè ordinatus, ut demonstratum est supra Decif. VII. Causa Materialis est res externa, & sensibilis, quæ offertur, videlicet Victimæ, & Hostiæ, de qua latè in Decif. VIII. Causa Ritualis sunt Cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ pro Liturgicæ actione, à quibus aberrare non licet, ut docuimus in Decif. IX. Causa Formalis est ipsi ritus, seu Victimæ preceptio, vel aliqua ejus conveniens mutatio, & de hac pariter locuti sumus plenè in Decif. X. Localis causa sunt Templum, & Altare; sine quibus dedecet Sacrificium offerre, ut disputatum est in Decif. XII. & XIII. Causa verò Finalis duplex reperitur in Sacrificio. Una primaria, nempe Honor, & cultus Dei ad protestandum ejus absolutum dominium in omnibus creaturis, de qua differuimus supra Decif. VI. & Decif. 7. Altera secundaria; & est Utilitas populi, quatenus ex Sacrificio provenit eidem populo

populo tum felicitate æterna per remissionem culpæ, & penarum, atque gratiæ sanctificantis augmentum; tum prosperitate temporalis, per obtentum Divinæ opis, dum afflictionis in hac vita non ingruunt; & de hac secundaria finali causa in præsentia est agendum.

Igitur in definitione Sacrificii posita sunt verba hæc: Pro remissione peccatorum; nec non pro presenti, æternæque felicitate populi obtinenda; ad inveniendum quòd Sacrificium Missæ prodest ob obtinendam à Deo remissionem tum culpæ, tum penarum, pro æterna felicitate consequenda; & ad ipsum placandum, quando ejus iustitia penis, & flagellis peccatores percutit; vel dum iusti gratias temporales ab ipso flagitant; ad quorum omnium probationem, memoria est recolendum; tria fuisse genera Sacrificiorum apud Hebræos, Holocaustum, Hostiam pro peccato, & Hostiam pacificam; vel ad impetrandum beneficium aliquod, vel pro impetrato ad gratiarum actionem, de quibus agit S. Thom. 2. 2. q. 102. art. 2. ad 2. Emin. Card. Bellar. lib. 1. de Missa c. 4. Card. Tolet. in Summa lib. 2. c. 4. n. 2. & 3. Lessius in 3. p. D. Thom. q. 83. art. 1. dub. 3. num. 9. & Torniel. in Anal. ad Annum Mundi 2545. num. 21. Holocaustum erat Sacrificium, quod specieliter offerrebat Deo ad reverentiam Majestatis suæ, & amorem bonitatis ejus, & dicebatur Holocaustum, quia in eo tota Victimæ comburebatur; hoc enim verbum latinè significat totum combustum; & idè tota Victimæ cremabatur, ut resoluta in vaporem tota sursum ascenderet, in signum, quòd quicquid habemus, Dei est. Hostia pro peccato erat illa, quæ pro expiatione peccati offerrebat, cujus una pars cremabatur, & pars altera à Sacerdotibus in ipso atrio Sancto manducabatur; ad denotandum, quòd Deus est causa nostræ salutis, sed mediis ministris suis. Variabantur autem Hostiæ pro peccato pro varietate peccati, & personarum; alia enim offerrebat pro perjurio, alia pro aliis peccatis; alia pro peccato Pontificis; alia pro Regis, alia pro Synagoga; alia pro privatorum hominum. Hostiarum Pacificarum duæ erant species: Una pro beneficio accepto, altera pro beneficio accipiendo offerrebat; & eandem tres habent partes; prima cremabatur, secunda manducabatur à Sacerdotibus, tertia ab illis, qui eas obtulerant; ad hoc, ut sciremus, à Deo nobis gratias elargiri mediantibus ejus ministris; sed nobis etiam cooperantibus.

Hæc omnia sacrificia Legalia, & antiqua in umbra figurabant Sacrosanctum Missæ Sacrificium à Christo Domino institutum; in quo per oblationem sui Corporis, & Sanguinis comprehenduntur omnes supradictæ Legales Hostiæ, ut profertur Ecclesia, quod in Secreta Dominicæ. VII. post Pentecost. ita orat: Deus, qui legalium differentiam hostiarum, unius Sacrificii perfectionem sanxisti; & adverte Conc. Trid. d. sess. 22. cap. 1. in fine, ibi: Hæc denique (oblatio) illa est, quæ per varias Sacrificiorum, nature, & legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur. Igitur omnes causæ finales prædictorum Legalium Sacrificiorum vigent eminentius in Sacrosancto Missæ Sacrificio; Missa enim est pretiosum Holocaustum, quod Deo Patri offerimus tamquam supremo Domino; & de quo ipse summopere delectatur juxta illud, quod antea dixerat per os Malachie cap. 1. Vers. 6. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda; utique in honorem, reverentiam, & protectionem supremi Domini Divinæ Majestatis suæ; quod suscipit prosequitur Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 76. sect. 2. Et quemadmodum est Missa Sacrificium Holocaustum;

ita est Propitiatorium, & Impetratorium, conferens populo fideli felicitatem æternam per remissionem culpæ, & penarum relaxationem; ac eidem populo elargiens gratiæ augmentum, & prosperitates temporales, sicque bona tum animæ, tum corporis; ut evidenter constat ex sequentibus octo conclusionibus; quibus declarabuntur supradicta Verba in definitione posita.

Conclusio prima. Sacrificium Missæ est Propitiatorium, quòd ad culpam mortalem, quia illam remittendi vim habet ex opere operato. Probatur conclusio. I. Quia spectat ad rationem Sacrificii remittere peccata; nam munus Sacerdotis est, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, ut ait Apostolus ad Hebr. 5. Hinc etiam Sacrificia in Lege naturæ proficiebant adultis ad expiandum actuale peccatum, ut ait Maltrius in 4. sent. disp. 1. num. 42. II. Quia Ecclesia ita petit in oratione tertia, & in ablutione scelerum, sit fortuito fragillum. III. Quia Sacerdos dum Hostiam offert, orat dicens: Suscipe Sande Pater, Omnipotens æterne Deus hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo, & vero, pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentis meis, & pro omnibus circumstantibus, &c. IV. In Canone post illa Verba, Et omnium circumstantium, subjungitur: Vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus; pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & inchoantibus, sue. V. Cæteris auctoritatibus omissis, quas plurimas refert Suarez d. tom. 3. disp. 79. sect. 3. expressa sunt verba Concilii Trid. d. sess. 22. c. 2. ibi: Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum penitentiae concedens, criminis, & peccata, etiam ingentia dimittit. Porro ex communium Theologorum sententia supradicta conclusio, atque Concilii Tridentini verba ita intelligenda sunt, ut per Missæ Sacrificium remittantur peccata mortalia non immediatè quòd ad culpam; sed mediatis, videlicet quatenus Deus hoc sacrificio placatus non conferat illicò primam gratiam, etiam ipsi, pro quo Sacrificium offertur, attritus sit; sed tantum concedat auxilia, quibus homo disponatur ad veram penitentiam, & peccatorum remissionem; ideoque Concilium Tridentinum, ubi supra, non intellexit de gratia habituali, & formaliter iustificante; sed de gratia præveniente cum actualibus auxiliis, quibus peccatores, dum pro illis sacrificio offertur, excitantur ad penitentiam, & peccatorum detestationem; vel elicent ad eum perfectæ contritionis, vel se disponendo ad Sacramentum Penitentiae dignè, & fructuosè recipiendum; & ita desumitur ex Doctrina S. Thom. in 4. disp. 12. quest. 2. art. 2. questuone. 2. ad 4. ac etiam ex doctrina Scoti in 4. disp. 23. quam prosequuntur Gonet. d. tom. 5. disp. 11. de Sacrific. Missæ art. 4. num. 77. & segg. Maltrius in Theol. Moral. d. disp. 19. n. 48. Colleg. Salmant. in Cursu Theolog. Moral. tom. 1. De Sacramentis in genere tract. 5. c. 2. punct. 1. Quartus in Rub. Missæ in Appendice de Sacrific. Missæ quest. 2. punct. 1. ubi alios cumulat, & Brognolus in Speculo Clericor. tract. 10. cap. 6. res. sol. 1. 2. & 3.

Conclusio primam hæc duobus exemplis confirmo. Primum est Guillelmi Ducis Aquitanis viribus, exercitiis, & auidacia formidabilis, qui ad hæserat Antipapæ Anacleto; & rebellis, ac inobediens erat Summo Pontifici Innocentio Secundo; vero, ac legitimo Christi Vicario. Post plura remedia inutiliter adhibita pro conversione ejusdem Ducis Aquitanie, ipse Summus Pontifex Anno 1135. misit ad eum Legatos suos Gaudfridum Episcopum Carotensem; & S. Bernardum Abbatem Claravallensem; sed hi inflexibiles, inveniunt antedictum Ducem Guillelmum; tamquam & Schismatis culpa, & aliarum gravissimarum iniquitatum

vinculis detentum. Igitur ad Divinam opem Sanctus Bernardus recurrit; & Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro Duce obtulit; ductusque Spiritus Sancti speciali impulsu Sanctus Abbas ad illum accessit, habens Patenam cum Hostia in manibus consecrata; & de ejus oblatione redarguens Ducem, talia fere interna celestis gratiæ auxilia, ut ad pedes Sancti Bernardi procumbens, se ei, Summoque Pontifici Innocentio statim professus sit obedientem; & a Schismate, suisque pessimis moribus conversus, exemplarem egerit penitentiam, pœnositimam aggressus peregrinationem; de qua testatur omnes Historiæ illius temporis; & de præmissis memoriam facit Eminentiss. Cardin. Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 1135. Surius die 10. Febr. & novissimè Hieronym. à Basilica Petri in Metamorphos. Sacris Centuria 4. Convers. 57.* Ecce propitiatio in hunc Ducem Aquitania proveniens à Sacrificio per S. Bernardum Abbatem Oblato, cujus Sacrificii Sacrosancti virtute meruit à viis pravus converti, & remissionem gravissimarum culparum obtinere.

Alterum exemplum, à supradicto non dissimile, est Sancti Brinulphi Episcopi Scaerensis in Svecia, de quo Bollandus die 6. Februarii; & anted. Hieronym. à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris ead. die*, inter cætera narrat; quod cum tanquam Pastor optimus omnium virtutum luce fulgeret, Ladalaus Magnus Svecorum Rex, pessimis consiliariis eum fœdantibus, tanto odio profectus cepit Sanctum Episcopum, ut ejus sacrilegam internecionem decreverit in corde suo; ac quibusdam sicariis exequendam mandaverit. De hac impia Regis voluntate monitus Sanctus Antistes se Deo commendavit, & proximo die festo Assumptionis Deiparæ solemniam Missarum agens in Ecclesia, in qua & Rex Ladalaus cum proceribus Regni aderat, pro eodem Rege Sacrificium obtulit; sanctaque fuit Sacrosanctæ oblationis virtus, ut tactum dolore cordis intrinsecus penitenter eum deliberationis suæ; & statim Missa completa, se ante Sanctum Brinulphum prostraverit, summisque lacrymis iniquum animum suum, ac peccata sua confessus veniam, & absolutionem petierit, quam illi pius Episcopus benigne impertivit; ac deinceps eximia charitate ab eodem Rege fuit semper dilectus. Est igitur Liturgicum opus Propitiatorium, delens culpas mortales, & crimina ingentia, præviis Divinæ gratiæ auxiliis, excitantis ad penitentiam peccatores.

Conclusio secunda. Sacrosanctum Missæ Sacrificium multo magis est propitiatorium respectu culparum venialium; illas enim ex opere operato delent, atque remittit. In hac veritate concordant omnes Theologi. Lessius in 3. p. D. Thom. d. quæst. 83. art. 1. num. 22. Gonet. d. disp. 11. de Sacrific. Missæ num. 79. tom. 5. Eminent. Card. de Lugo de *Euchar. disp. 19. num. 152. Gobat. in Theol. Experim. tract. 3. num. 123. & Maitrius in Theol. Moral. d. disp. 19. num. 49.* ubi advertit, quod licet plures ex Theologis ibi per eum citatis hanc conclusionem admittant ad normam præcedentem, scilicet non remittit venialia immediate quod ad culpam per Sacrificium, sed tantum mediate; nimirum impetratione auxiliorum, quæ ad contritionem perfectam excitent; vel ad susceptionem Sacramenti Penitentia; nihilominus plerumque alii insignes Theologi, inter quos Canus, Henriquez, Nugnus, Diana, & Gavatus tenent, veniales culpas immediate per Sacrificium Missæ deleri ex opere operato, dummodo ille, pro quo Sacrificium offertur, obicem non ponat, hoc est affectum, & complacentiam non habeat ad peccata venialia, sive illa non continuat; idque probant ex Concilio. Trid. sess. 14. cap. 5. ubi docet peccata venialia non esse materiam necessariam Sacramen-

ti Penitentia; sed multis aliis remediis expiari posse; inter quæ efficacissimum reputatur Deo Missæ Sacrificium, quod fuit à Christo Domino Ecclesiæ suæ sponsæ relictum; quo virtus Salutaris Sacrificii crucenti Crucis applicaretur in remissionem eorum peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur, ut libet idem Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. his addi potest, Scholasticorum doctrina, de remissione peccatorum venialium, quæ fieri potest per meram extrinsecam Dei condonationem absque ulla infusione gratiæ habitualis, aut formali retractione peccati venialis, quod non includit privationem gratiæ, sed est cum illa compossibile; ut latius idem Maitrius in 4. sent. disp. 5. quæst. 9. in *Theol. Mor. d. disput. 19. num. 49.* Et facit dictum S. Augustini, in quo in *can. Utrum 72. de Consecrat. dist. 2. videlicet: Iteratur quotidiè peccatum, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus, saltem peccatis, sine quibus mortali infirmitate vivere non potest; Et ideo quia quotidie labimur, Christus quoque mysticè pro nobis immolatur.*

Confirmari potest hæc secunda conclusio de remissione culparum venialium per virtutem Sacrificii Missæ exemplo, quod narrat S. Gregorius Magnus *Dialog. lib. 4. cap. 57.* his verbis; *Hoc quoque quod audivimus, quemdam apud hostes, & in vinculis iratigatum fuisse; pro quo sua conjux diebus certis Sacrificium offerre consuevit; qui longo post tempore ad conjugem reversus, in quibus diebus eius vincula solvantur, innotuit; ejusque conjux illos fuisse dicit, in quibus pro eo Sacrificium offerretur, cogovit.* Constituit exemplum narrat Beda lib. 4. *Hystor. Gentis Anglor. cap. 22.* de Juvene milite, qui captus ab exercitu hostili, ibi Dux eum vinciri præcepit; sed vincula de se cadebant; habebat enim germanum fratrem Sacerdotem, qui pro ipso Missam celebrabat, putans eum esse mortuum. Vincula nostra utique sunt passiones nostræ, & inclinationes ad vitia, quibus alligati quotidie venialiter peccamus, juxta illud *Isaie 5. 18. Ve, qui trahitis plepulum in funiculis varietatis.* Igitur sicut vincula corporis dissolvebantur prædictis hominibus captivis, quo die pro ipsis celebrabatur Sacrosanctum Missæ Sacrificium, ita ejusdem Divini Sacrificii virtute destruantur funiculi animæ, quæ sunt culpæ veniales; de quibus dicebat Psaltes: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Psalm. 115. 7.* Et ideo fuerat dirupta, quia *Calicem salutaris accipiam;* id est propitiacionem ex inuenta Oblatione Christi manantem spiritu suscipiebam.

Tertia Conclusio. Sacrosanctum Missæ Sacrificium ex opere operato vim, & efficaciam habet augendi gratiam habituales in hominibus iustis, pro quibus offertur, vel qui devotè illi sunt adstantes; et si non immediate, sed mediatè tantum, quatenus virtute ejusdem Sacrificii conferuntur iustis auxilia actualia, & efficaciam ad bona opera exercenda, quibus crescant per meritum in sanctitate, & iustitia; & mereantur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ. Ita Scholasticè supplicat, Gonet. *diu. tom. 5. disput. 12. de Sacrific. Missæ num. 87. Suarez in 3. par. tom. 3. disput. 79. sect. 4. Eminent. Card. de Lugo de Eucharistia. disp. 19. n. 150. Colleg. Salmanticen. de Sacramentis in genere tract. 4. num. 12. & 31. Et Maitrius in sua Theol. Moral. d. disp. 19. num. 50.*

Exemplum Confirmatorium satis aptum est illud, quod refert idem Sanctus Gregorius Magnus *Dialog. d. lib. 4. cap. 57.* de Nauta, Baraca nomine, qui conducebat Romam in propria navi Agathum Panormitanum Episcopum, de quo etiam meminit ipse Gobat. *diu. tract. 3. num. 126.* Ortæ enim tempestate magna, & eodem Baraca nauta existente in Carabo, videlicet in cymbula comitante navim, rupto fune, quo navi alligabatur, inter undarum cumulos

cumulos repente dispartit. Navis post multa pericula ad Usticulum Insulam fluctibus quassata pervenit; carabus verò jactatus undis, cum à superiori parte deorsum fuisset conversus, nauta, vi facta, superfluit carinæ; sed labore, terrore mortis, ac fame oppressus amplius se ibi regere non poterat. Interim Episcopus credens eundem nautam mortuum, voluit in eadem Insula Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre; quod dum litaret, ipse nauta ab undis cum carabo converso jactatus vidit quemdam sibi mirabiliter porrigentem panem; quem mox ut comedit, vires recepit, nec longè post alia navis transiens affuit, quæ illum ab undarum periculo suscepit, atque ad Portum Romanum deduxit; ubi cum deinde Episcopus applulisset, eundem vivum, & incolorem invenit. Ex hac narratione deducitur, quod sicut, dum Sacrificium fieret pro eodem naufragi nauta, Panis miraculosus, quo vires auctæ sunt illi ad se vivum in medio mari servandum, fuit illi porrectus; ita ejusdem Sacrificii virtute animæ fideles augmento gratiæ per impetrationem Divinorum auxiliorum ditantur; quibus valent ad bonos, & meritorios elicere ad consequendum de condigno tum gratiæ in hac vita, tum gloriæ in futura augmentum.

Sit aliud exemplum Petrus Pareus Nobilis Panormitanus, in juvenili ætate, & in habitu laicali accesserat Romam, mandans honores questuribus. Casualiter ingressus in Ecclesiam, & in Sacrificium, ubi Sanctus Philippus Nerius paratus erat pro celebranda Missa; ab ipso Sancto vocatus, ut Missæ suæ deserviret, promptè obediit; & Sacra illa actione durante, ac divina gratia in corde Petri crescente, desit statim in eo affectus terrenorum rerum, & exarist Amor celestium; adeo ut consilio ejusdem Sancti vitam Clericalem amplecti meruerit esse Fundator Congregationis Oratorii Panormi; & in ea ad apicem perfectionis Christianæ pervenire; ut piæ, ac doctè scribit Joannes Marcianus in *Memor. Hist. Congregat. Oratorii tom. 2. lib. 5. cap. 24.*

Quarta Conclusio. Missæ Sacrificium ex sui institutione, & ex opere operato habet vim remittendi penas peccatorum tam pro vivis, quam pro defunctis existentibus in Purgatorio. Probatur ex Trid. Conc. d. sess. 22. cap. 2. & *Can. 5.* in quibus definit, hoc Sacrificium non solum proesse sumenti, sed etiam iis pro quibus offertur tam vivis, quam defunctis pro peccatis, pœnit, & satisfactoribus. Hæc autem penarum remissio, ubi culpa obicem non ponat, provenit ex efficacia Passionis Christi, cujus crucenti Sacrificii hoc inersumentum est reparatorio, ac veluti renovatio, & fit immediate ex ipsa hujus Sacrificii institutione, atque Christi promissione, independentè à merito, & prohibita operantis; atque ideo pœnæ prædictæ, debite pro peccatis remissis, relaxantur certò, & infallibiliter, ac statim; ut concorditer docent omnes Theologi. S. Thom. 3. p. q. 79. art. 5. in corp. Scotus *Quodlib. 20. Suarez d. tom. 3. in part. disp. 79. sect. 6. Valquez disp. 224. cap. 4. Colleg. Salmanticen. d. tract. 4. de Sacramentis. in gen. cap. 4. num. 11. & num. 18. Lessius in d. 3. part. quæst. 83. num. 40. Gonet. d. tom. 5. disp. 11. num. 88. Emin. Card. de Lugo de Euchar. d. disp. 19. num. 153. Emin. Cardinalis de Lauræa in 4. sent. tom. 4. disp. 26. art. 11. ubi innumeratas auctoritates Sacre Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, Canonum, & Theologorum cumulat. Et denique Maitrius Scotistarum splendor, & ornamentum, in 4. sent. disp. 4. quæst. 6. & quæst. 7. nec non in *Theol. Moral. d. disp. 19. num. 47.**

His addere liceat testimonium antiquitatis circa remissionem penarum pro defunctis ex Liturgica actione proveniente juxta Apostolicam traditionem usque ab initio Ecclesiæ semper cultoditam,

de qua Eminent. Card. Baronius in *Annal. Eccles. ad Annum Christi 257. num. 15. & 16. & Anno 389. num. 5.* ubi refert factum Divi Augustini, qui Missam de Requiem celebrare fecit pro anima S. Monica Matris suæ defunctæ, antequam eius corpus sepeliretur; prout ipsa petierat, priusquam expirasset, dicens: *Tantum illud vos rogo, ut ad Domini Altare memineritis mei, ut idem Sanctus scribit Confessio. lib. 9. cap. 12. & cap. 13. nec non Anno 1056. num. 9.* ubi ex S. Petro Damiano ostendit usum Ecclesiæ celebrandi Missam feria secunda pro defunctis; quod latius profectus Eminent. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 15. num. 4. Gasp. Scottus in Physica Cur. tom. 1. lib. 1. cap. 42. §. 2. & Sperellus in Parænesi Teurgica cap. 52. ac etiam cap. 95. §. 1.*

Porro nonnulla exempla ad ornatum doctrinæ subjiciamus. Primum sit illud, quod narrat S. Gregorius Magnus *Dialog. lib. 4. cap. 55.* de Domino balnei jam defuncto, cujus anima in figura humana servatam Presbytero, ibi pro infirmitatibus ad se lavandum accedenti; nam cum grati animi egro obtulisset panem; anima illa sic respondit: *Ego, quem vides, hujus loci Dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, Omnipotenti Deo pro offer hunc panem; ut pro peccatis meis intervenias. Et tunc te exaudiat esse cognosces, cum hac ad lavandum veneris; & me minime repereris. In quibus verbis dispartit; & is, qui homo esse videbatur, evanescente innotuit, quia spiritus fuit. Idem verò Presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit, salutare HOSTIAM quotidie obtulit; & reversus post ad balneum, eum jam minime invenit. Qua ex re quantum proficit animabus immolato sacra Oblationis ostenditur; quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viventibus petunt; & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur. Secundum exemplum sit cum Monachi proprietarii, qui obit in Monasterio ejusdem S. Gregorii Magni, & ejus iussu in sterquilino cum tribus aureis, quos occultos tenebat, sepultus fuit, qui Sanctus miseratus, iussit per dies 30. continuos pro ejus anima celebrari. Dein Anima Justi apparens Copiolo germano suo, exposuit à pœnis, quas huculque perpessa erat, se absolutam; ut eod. *Dial. lib. 4. cap. 55.* fusius narratur. Hinc invaluit Ritus triginta Missarum S. Gregorii pro defunctis; quæ prohibita non sunt, si dicantur de Requiem in diebus feriatis, & semiduplicibus; in Dominicis autem, & duplicibus festis recitentur de officio corrente, per dies triginta vel continuos, vel interpolatos, ut respondisse Sac. Rit. Congr. die 28. Obris 1628. testantur Gavant. in *Rubr. Miss. part. 1. tit. 5. num. 3. in fine.* Byssus in *Hierurg. Sacra Verb. Missæ prohibita. n. 162.* Pasqualig. de *Sacrific. Missæ q. 293. & segg. & Bordonus de Legatis cap. 6. num. 121.* Tertium sit exemplum S. Malachia Episcopi Hybernenfis, de quo in ejus vita Joan. Petrus Maffæus *Joc. Jesu. & Petrus Ribadeneira in Vita Sancti. tom. 2. die 3. Novembr.* Defuncta enim foras ejusdem S. Malachia, & visione per eum habita, quod ipsa lucu induta extra Ecclesiam staret, cepit proejus anima quotidie Sacrosanctum Sacrificium offerre, & non multo post vidit eam in vestibus albis ad cælum ascendere. Quarto loco videantur exempla, quæ narrat Daniel Bartoli in *Historia Anglicana lib. 5. cap. 7.* de Joanne Cornelio Sacerdote ejusdem Societatis Jesu, cui in Anglia laboranti pro defensione fidei Catholicæ apparuit Harrisius ejus præceptor defunctus, petens suffragium nonnullarum Missarum, ut à pœnis Purgatorii liber exiret. Ulterius idem Joannes Cornelius dum Sacrum faceret pro Barone Sturtonio, post consecrationem usque ad Memento defunctorum, vidit sylvam ma-*

magnam ignis ardentis, & in eo prædictum Baroni-
um Sturionium, qui flagitabat auxilium. Quinto,
legatur id, quod scribit in *Stoeris* Stephan. Meno-
chius *centur.* 2. cap. 11. ex Tilman. Brendebach.
lib. 8. Relationum cap. 4. videlicet anno 1581. He-
rum quemdam paulo ante defunctum famulæ suæ
apparuisse igneo pallio cooperitum; & ab ea instan-
tissimè postulasse certorum votorum adimplemen-
tum; ut ibi Misfarum celebrationem, ut à pœ-
nis Purgatorii abolveretur. Sexto tandem obser-
vandum exemplum illud relatum à Sancta
Teresa in suis operibus spiritalibus *tom. 2.*
capit. 25. nimirum, Vallisoleti, sibi dono datam
domum amplam cum vinea à quodam Equite gene-
rosi animi; ut ibi Monasterium fundaret. Post men-
sem à donatione prædicta circiter donator ipse, gra-
vi infirmitate correptus, usu linguæ deperdito obiit
inconfessus. Solicitudè Sancta Teresa de ejus æter-
na salute orabat ad Dominum, à quo monita
fuit, illius animam elicitio contritionis actu, ad-
juvante Deipara, pro cuius honore domum, & vi-
neam donaverat, esse in loco salutis, nempe in
Purgatorio; à quo tamen non exiret, nisi in præ-
dicta domo constitueretur Ecclesia, & Sacrosan-
ctum Sacrificium Missæ in ea litaretur. Studuit
donataria, omni possibili celeritate, Ecclesiam ibi
ædificare; quæ ædificatione completa, & necessa-
rie licentia habitis ab Ordinario, ubi prima
Missæ celebrata fuit, vidit S. Teresa Equitem do-
natorem, & beneficentem suum penes Altare, lu-
minofam habentem faciem; & sibi gratias agen-
tem; quidem ejus anima soluta à Purgatoris pœ-
nis ad gloriam evolat Paradisi. Verè igitur Incruen-
tum Missæ Sacrificium est Propitiatorium, & Sa-
tisfactorium pro pœnis, causa culpæ commissæ
debitis perfolvendis, tum in hac vita mortali
degentibus; tum in aliis his, qui in Purgatorio sunt
demandati.

22 Sed dicit aliquis: Quare Ecclesia in offertorio
Missæ Defunctorum rogat Redemptorem, ut libe-
ret animas omnium fidelium Defunctorum de Pœnis
Inferni, & de profundo lacu; & ne absorbeat eas
Tartarus, ne cadant in obscurum? Quisnam est sen-
sus dictorum Verborum? Respondetur, ea verba de
pœnis Inferni significare pœnas Purgatorii; vox
enim Infernus significat omnem locum subterraneum,
sive ubi stant damnati, sive ubi sunt animæ Purgato-
rii, vel degentes in limbo; & idcirco in symbolo
dicimus: Qui descendit ad inferos. Verba, de pro-
fundo lacu, pariter denotant Purgatorii locum; qui
cùm sit in profundo terræ, venit hoc nomine; lac-
cus enim appellatur carcer profundus, juxta illud Je-
rem. 38. 6. Et projecerunt eum in lacum, id est
in carcerem; de quo etiam intelligendus est Psaltes
Psal. 87. Vers. 5. & seqq. ubi de Passione, morte,
ac sepultura Redemptoris, atque de descensu Animæ
eius Sanctissimæ ad limbum loquens, in spiritu di-
cit: Estimatus sum cum descendentibus in lacum: fa-
bius sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.
Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non
est memor amplius; & ipsi de manu tua repulsi sunt.
Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in
umbra mortis. Verba sequentia: ne absorbeat eas
Tartarus, ne cadant in obscurum; innunt eundem
locum Purgatorii, à quo censentur animæ educatæ;
quia durante divino Sacrificio tormenta non sentiunt,
sed refrigerium, secundum piam opinionem Sancti
Hieronymi, quæ in aliquibus Defunctorum Missali-
bus imprimi solet; nimirum: Animæ, quæ in Pur-
gatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in Missa
orare, interim nullum tormentum sustinent, dum Mis-
sa celebratur. Igitur hæc Offertorii oratio ad sup-
plicandum dirigitur, ne iterum cadant in tormenta
post Missam, à quibus pro interim sublevatæ sunt
animæ illæ, pro quibus rogatur; & ne amplius ibi

detineantur. Ita Magrius in *Hirolex. Verb. Offerro-
rium*, nec non Menochius in *Stoeris Centur.* 6.
cap. 78. ac etiam Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 22.*
ques. 8. & Fagundes de *Præceptis Ecclesie lib. 4.*
cap. 21. nñm. 6. & seqq.
Quinta Conclusio. Sacrificium Missæ in publicis
tribulationibus belli, pestis, penuria, aliorum
divinæ Justitiæ flagellorum, Deum placatum red-
dit, & opem opportunam obtinet. Probatur ex usu
antiquo Ecclesie, quæ pro tempore prædictarum
tribulationum instituit proprias Missas celebrandas;
videlicet ad pacem obtinendam, ad petendam plu-
viam, vel serenitatem, & consimiles, prout in Mis-
sali Romano; idcirco hoc notant Henricus in *Summa*
lib. 9. cap. 15. num. 2. Collegium Salmanticen. de
Sacram. in genere d. trad. 4. num. 19. & Mairius in
Theol. Moral. d. disp. 19. num. 51. Et hæc est potis-
sima causa, ob quam Deus in præsentis rei miserico-
rdem reddit, & peccata dimittit, cæsi in veteri
testamento tanta severitate peccatores puniret. In
pœnam unius adulteri, ut habetur *Judic. cap. 20.*
Vers. 46. perierunt viginti quique millia hominum.
Ob vanæ gloriæ culpam in Rege David, ut legitur
in lib. 2. Regum cap. 24. num. 15. ceciderunt ex pe-
sistentia virorum septuaginta millia. Propter curio-
sam irreverentiam in aspectu Arca, quam commisere-
runt Bethsamia, ut scribitur *lib. 1. Reg. cap. 6.*
num. 19. Dominus Deus percussit de populo septuaginta
viros; & quinquaginta millia plebis. Nostris autem
temporibus innumera propè flagitia, adulteria, vani-
tates, & irreverentias tolerat Divina justitia; quia
redditur placabilis Hostiæ immaculatæ oblatione.
Sint exempla:

Justinus successor Justiniani in Imperio, cùm bel-
lum gereret contra Persas, quo die erat pugnaturus
contra illos, Missam cum militibus devotè audi-
vit, deinde into prælio gloriosam de inimicis vi-
ctoriam reportavit, divini Sacrificii virtute, ut re-
fertur in *Annalibus Eccles. Eminent. Gardin. Baronius*
Anno 556. num. 43.
Consimilem triumphum de Danis, Angliam in-
vadentibus assequutus est Rex Eitelodus; qui excita-
tus ad pugnam, dum Sacræ Liturgiæ addaret, à
militibus suis, respondit illdem, non discusseris,
nisi Divinum Sacrificium completum esset. At eo fi-
nito hostes aggressus, illos fugavit ejusdem Divini
Sacrificii ope. Idem Eminentiss. Baron. Anno 871.
num. 101. Et Matthæol. in Sylva Historial. tom. 2.
lib. 7. cap. 1. tit. 13. Exempl. XI.

Sexta Conclusio. Prodest libatio Hostiæ sacræ
ad effugienda pericula, quibus nostra subiacet huma-
nitas; idcirco *Trid. Conc. cit. sess. 22. cap. 2.* &
can. 3. in fine ait, Missæ Sacrificium offerri pro qui-
buscumque necessitatibus; videlicet tant animæ, quam
corporis. Famofum est exemplum relatum ab *Ænea*
Silvio in descript. Europæ cap. 21. de Nobili Viro,
qui cùm gravissima tentatione de se suspendendo op-
primeretur, monitus fuit à Religioso viro, ut quoti-
die Missam audiret; idque per annum jugiter fecit,
neque suspensio tentatione amplius audeviret. Postea
in die festo, cùm tardasset ire ad Ecclesiam, ob-
viam habuit rusticum, qui tetulisset ei, completa
esse omnia Sacrificia. Dolenti nimirum de hoc No-
bili prædicto obtulit rusticus cedere Missam à se au-
ditam, si pallium rubeum suum sibi daret. Con-
sentit Vir nobilis, & dato Pallio pergit ad Ecclesiam;
in qua diu moratus in recitatione orationum, dum
revertitur domum, vidit rusticum antedictum in ar-
bore suspensum; & cognovit virtute Missæ sibi at-
tribuatæ illud suspendi periculum evasisse. Idem nar-
rat Bagatta in *Admirand. Orb. Christ. tom. 2. lib. 3.*
cap. 3. §. 9. n. 3. & Segerius in *Christiano Instru-
to par. 1. Serm. 12. n. 17.*

24 Celebre est etiam exemplum illud Nobilis Juve-
nis ab aula Sanctæ Elisabeth Regiæ Portugaliæ; quem

quem calumniosè ab alio aulico accusatum de in-
continentia apud Regem, Rex ipse in calcaris ignis
medium pergeret justis artifice. Cumque innocens acu-
satus pergeret justis artifice fornacis, audito signo celebrandæ Missæ in quadam Ecclesia,
introgatus addidit Divino Sacrificio; & interim
Rex scilicet capiens, an iustitia sua adimpleta foret,
misi accusatorem ad fornacem; quem artifex arre-
ptum in ignem conjecit. Quo casu Deus puniat
voluit malitiam calumniatoris; defensas innocen-
tiam accusati, & manifestatam virtutem Divini Sa-
crificii in angustiis, & necessitatibus hominum. Ita
in Chronic. Ordin. S. Francis. tom. 2. lib. 8. cap. 28. &
Rodriquez in Exercit. Persect. Christ. part. 2. trad. 8.
cap. 16. nec non Bagat. *cod. lib. 3. cap. 3. num. 9.* qui
alia exempla narrat eorum, quibus devotio erga
Sacrosanctum Missæ Sacrificium in magnis vitæ pe-
riculis mirifice profuit.

Septima Conclusio. Virtute hujus Sacrificii con-
ceduntur nobis à Deo plura bona temporalia, quan-
tenus tamen ordinantur, & conducunt ad Spiritua-
lia. Ita Mairius in *cit. disp. 11. Theol. Moral. num. 51.*
ubi reddit rationem dicens, quia hujus Sacrificii ef-
fectus nituntur meritis Sacrificii cruenti à Chri-
sto in Cruce oblati; ad nobis non promeruit
Christus in Cruce bona temporalia, nisi in ordine
ad Spirituaalia; & prout ad illa conducunt, & ordina-
ntur. Et hinc est, quòd effectus hujusmodi non semper,
& infallibiliter obtinentur; quia non semper
deserviunt animæ salutis, quod suaveri potest exem-
plo Extremæ Unctionis, cuius effectus est etiam San-
ctas corporalis, non tamen abluturè, sed prout expe-
dierit salutis animæ; ut docet *Conc. Trid. sess. 14. c. 2.*
de eod. Sacram. extr. Un.

Cæterum & hanc conclusionem duobus ornemus
28 exemplis. Unum narrat Surius in *Vita S. Joannis*
Eleemosynarii Alexandrii Episc. die 23. Januar. de
duobus Sutoribus, quorum unus quotidie audiebat
Missam, & ejus familia commodè vivebat ob lu-
cra, quæ ex arte sua Sutor ille reportabat. Alter
die, ac nocte laborabat, vix Dominicis diebus
ad Ecclesiam accedens, & nimia egestate opprime-
batur. Petit à primo quomodo omnia sibi prospera
evenirent? Et audita devotione ejus erga tremen-
dum Missæ Sacrificium, cepit & ipse jugiter illi
assistere, & in temporalibus ditatus fuit.

Alterum satis lepidum describitur in *Stoeris Mono-
chii Cent. 2. cap. 72.* ubi inter cætera notabilia S. An-
tonini Archiepiscopi Florentiæ refertur, quod honestus
Vir paupertatis, & filiarum multitudinem pres-
sus quotidie, summo mane ibat ad Ecclesiam,
audientem Sacrum Sacrificium Missæ egestatem suam
Dominò commendabat. Aliquando ivit ita diluculo,
ut ofium Ecclesiæ nondum esset apertum. Stetit
tamen ibi expectans, & orans. Interim vene-
re cæci duo mendici, qui elemosynam queritabant,
& reperto otio clauso, ceperunt ad invicem con-
ferre quantum uniusquisque reconditam pecuniam te-
neret? Unus ait, habeo in hoc capuccio, reposita
scuta ducenta. Alter dixit, ego vero trecenta scu-
ta in pileo reportavi. His auditis Vir ille devotus
credens hanc noticiam sibi datam esse speciali pro-
videntia Dei, abstulit capucium ab uno, & pileum
ab altero, veloxque aufugit, cæcis præ nimio
dolore ob amissam pecuniam ejulantibus. At
timens, ne offenderetur Deus, accessit homo ille ad
Sanctum Antoninum Archiepiscopum, & eidem
omnia narravit, & pecuniam consignavit, qui af-
ficis cæcis prædictis, eos redarguit deserto, in pe-
tenda sipe tamquam mendici, & tantam pecuniam
retinentes. Cumque eos hortatus esset, ut suo ar-
bitrio factum remitterent, uni dedit scuta viginti-
quinque, alteri triginta; reliquum verò illius pecu-
niæ concessit ei, qui illam abstulerat, ut filias
suas nubes in Matrimonium daret, & suæ pau-

perati subveniret. Egit igitur hoc Divinum Missæ
Sacrificium ærarium in exhaustum, à quo nobis om-
nia bona veniunt, tum spiritalia, tum tempora-
ralia, si & hæc ad animæ salutem dirigitur; juxta
illud *Primum querit regnum Dei, & iustitiam*
ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Mattb. 6.*
33.

His adde bovem ferocem factum domitum, ex
voto Missæ ad honorem S. Francis. Xaverii; ut
narrat Gobat. in *Theol. Exper. d. trad. 3. n. 118.*

Octava conclusio. Sacrificium Missæ est verè Eu-
29 charisticum; id est aptissimum ad gratias agendas
Deo pro immensis beneficiis, quæ jugiter ab ipso
accipimus. Gonet. *d. tom. 5. disp. 11. de Sacrific. Missæ*
n. 94. Brognollus *trad. 10. cap. 8. resol. 1. Vers.*
Secundo. Layman lib. 5. trad. 5. cap. 2. n. 1. Paul. Se-
gner. in *Christiano Instru. part. 1. serm. 12. num. 10.*
& 11. ubi piè disserendo ait, innumeras esse be-
neficentias, quibus à Deo cumulatur in bonis na-
turæ, & gratiæ, in liberatione à malis, & in præ-
paratione æternæ felicitatis, nec non quod ipse Dei
Filius, propter nos homines, & propter nostram salu-
tatem descendit de cælo, & incarnatus sit de Spi-
ritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus fuerit
obediens usque ad mortem, mortem Crucis. Ideri-
cò, ut aiebat Tobias de Angelo ad patrem suum:
Quid dignum esse poterit beneficiis ejus? *Tob. 12. 2.*
Et nihilominus gratias reddere, & divinas beneficen-
tias compensare obligamur, juxta illud: *Da Altissimo*
juxta datum ejus. *Ecl. 35. 12.* Satisfactions autem
huic debito, dum Æterno Patri immaculatam Hos-
tiam, Corpus scilicet, & Sanguinem dilectissimi
Filius sui offerimus, & donamus in Liturgicæ actione,
de qua ita ait S. Irenæus *lib. 4. contra heres.*
cap. 32. Divinum hoc Sacrificium, idcirco institutum,
ne nos ingrati simus erga Deum. Legitur in *Vita Ven. 30*
Franciscæ Farnesiæ, eidem à Deipara in visione
datum fuisse puerum JESUM his verbis: *Accipe,*
tuus est. Hoc idem omnes fideles de se ipsis dicere
possunt, prævio Missæ Sacrificio, in quo *Parvulus*
datus est nobis, ut illum pro gratiarum actione Di-
vine Majestati offeramus; ut ipse Christus cuidam
animæ devotæ pariter innuisse testatur *Sanctiure*
part. 3. cap. 10.

Ex his concludamus, Sacrificium Missæ conti-
nere in se omnes effectus Sacrificiorum, quibus
quovis tempore homines usi sunt; est enim Missa
Sacrificium *Latreuticum,* sive *Holocaustum,* seu *hono-
rarium,* & protestativum Divini Domini, & sic
refertur ad colendum Deum, & ad protestandam
ejus Supremam Excellentiam, atque Superioritatem
super omnes res creatas. Est *Eucharisticum,* quia
fit in gratiarum actionem de summo beneficio Pas-
sonis Dominicæ, & immensis aliis beneficiis, quibus
à Deo donamur. Est *Imperatorium,* quia per
Christum Deo Patri oblatum, & presentatum, ejus
misericordias, obtemus. Est *Meritorium,* quia iustis
hominibus viatoribus augmentum gratiæ obtinet. Est
Propitiatorium, sive *Expiatorium* pro peccatis vivorum
& mortuorum, virtute Dominicæ Passionis. Est
Satisfactorium, quia pœnas debitas pro peccatis re-
mittit, delet, & extinguit. Ita *Fraxinell. de Oblig.*
Sacerdotum scilicet 3. prenot. 1. Layman. *d. lib. 5. trad. 5.*
cap. 2. & Brognol. in Specul. Cler. d. trad. 10. c. 8.
resol. 1.

Utrum autem prædicti omnes effectus Sacrificii
sint finiti, vel infiniti, tum quò ad intensionem,
tum quò ad extensionem, examinabimus infra in
Decisione XXXIII. ubi de valore, & fructu Missæ
sumus loquuturi.